

phi Acta, quorum auctoritatem sequi se profiteretur *Sigevvardus*, profus excidisse videntur. Quo sæculo, quæ ætate vixerit *Sigevvardus*, conjectu est difficile. Habuit sæculo XII *Mindensis* Ecclesia ab anno 1122 usq; ad 1140 *Episcopum Sigevvardum*, eademq; ferè tempestate *Albinum* sive *Albuinum* Antistitem Ecclesia *Mersburgensis*: verùm fueritne *Sigevvardus* iste *Albini* hujus aliquando discipulus, omnino incertum est. Propius fortassè à vero abierit, qui *Sigevvardum*, teste *Schafnaburgensi*, anno 1039 *Fuldensem* factum *Abbatem*, auditorem antea dixerit fuisse *Albini* sive *Albini*, quem *Chronologus Hildesheimensis* ad annum 1034 in philosophica arte eruditissimum, *Herfeldia* Prapositum, & prius schola ibidem magistrum famosissimum, *Abbatem* deniq; *Nienburgensem* celebrat: cum hi & loco, ætate, vitæq; instituto sese propius contingant, eaq; sit codicis *Abdinghoffsensis* vetustas, ut ad horum ferè ætatem referri queat. Quamquam & hæc opinio intra conjecturæ limites consistat. Post *Anonymum* igitur Vitæ *S. Meinulphi* primum scriptorem, & hunc nostrum *Sigevvardum*, tertius sæculo XV paraphrasin prioris Vitæ conscripsit, quam *Laur. Surius* ad V. Octobris tribuit *Gobelino*, agnoscit *Molanus*, & exemplaria MSSa *Gobolini* nomen præferunt. *I. Bolandus* nihilominus in *Commentario Historico Actis S. Liborij* seorsum editis præmissis, § III num. XI, *Suriana* Acta ex hoc conjicit non esse *Gobelino* tribuenda, quòd in ijs nulla ejus voti à *S. Meinulpho* apud *Cenomanos* nuncupati mentio fiat, cujus in *Cosmodro-*